

99 7 248





7
σὺν θεῷ
THESES THEOLOGICÆ
DE
BAPTISMI FRUCTV
QVEM REGENERATIO ET
RENOVATIO STATVIT

Contra

Calvinianos & Pontificios.

Ex Tomo secundo Bellarmini, ad Disputationem Quar-
tam, in Collegio Studiorum Theologiæ privato
3. Cal. Febr. habendam propositæ

A

M. VDALRICO NAGELIO Brandeb.
Respondente

M. DAVIDE LAURENTII Magdeburg:



VVITEBERGÆ,
Excusum typis Wolffgangi Meisneri,
ANNO M. D. XCVII.



AMPLISSIMIS, DIGNITATE, ERV-
ditione & Sapientia præstantissimis viris: Dn. MI-
CHAELI CICELERO Iudici in Inclyta
Magdeburgensium Republ. ordinario: Et Dn.
CASPARO ALEMANNO, Con-
suli ibidem prudentissimo.

Item.

REVERENDO AC DOCTIS-
SIMO DN. M. DAVIDI LAURENTII, AD
Diyum Vlicum Pastori fidelissimo.

Et deniq;

HONESTO ET INTEGERRIMO DN.
DAVIDI TORNOVIO civi primario, Me-
cœnatibus, patruo & affinibus suis
sumoperè colendis.

*Hoc exercitium Theologicum, pie gratitudinis
& gratae pietatis ergo.*

D. D. D.

M. David Laurentij Magdeburgensis.



99 7 248

DE EFFECTU BAPTISMI DISPUTATIO.

I.



*L*tera definitionis Baptismi particula, quæ essentialia huius Sacramenti sibi involebat, superiori Disputatione sic exposita, ἐνεργεια eius, Regeneratione sese in aspectum lucemq; proferens, Verbi divina tribunal jam subeat.

2. Hanc varia opinionum divortia mirum in modum, non dicam, à pristino statu deturbant, sed mentibus nostris, ut quid vero consonum sit, assequi vix possit, tenebras plus quam Cimmerias offundunt.

3. Cum enim Calviniani in Baptismi effectu assignando ἑλλησπυ, tum verò Pontificii, adulterinam huic Sacramento efficaciam adiudicantes, ὑπερβολικῶς committunt.

4. Illi quidem Baptismum sua virtute evacuantes, aqua ad hanc actionem sacram ordinatâ perfusos peccatorum sordes non deponere, nec regenerari: Hi autem per A Q V A E asperisionem peccatum ita tolli, ut amplius nulla ratione esse queat, insulse scriptitant, & postmodum tenacius aliquantò de Baptismi effectu sentiunt.

5. Nam præterquam quod Calvinus Baptismum. Regenerationis Signum tantum constituit, Beza ἐξαινεσθῆναι sententiæ eius ita tradit, ut Baptismus Regeneratione vacuus maneat. Calvin. li. 4. Instit. c. 15. Sect. 2.

6. Etsi autem in Responsione, Thesin Quartam D. Theologorum V Wirtenbergensium, quæ orthodoxam assertionem habet, oppugnante se suosq; complices, Sacramenta nuda signa esse, docere negat: Tamen in Momp. fol. antithesi ad thesin 4, & 5. scriptum reliquit: Quando quod rei signata est (Qualis est in Baptismo Christi Sanguis & Spiritus Sancti opus, quod interior mundatio, per Christi sanguinem) externæ actioni tribuitur, Metonymiam Sacramentalem esse affirmamus. Colloq. Momp. fol. 432. & 434

7. Adde quod dicto loco in Collationis progressu, hunc in modum

Ibid.
fol. 446.

Pauli verba ad Titum. 3. Baptismi effectum inculcantia paraphrasti-
cè reddit : Cum igitur Baptismus dicitur lavacrum, necesse
est, ut significet tantum Lavacrum illud Spirituale, quod in-
tus fit per asperionem Christi sanguinis.

8. Et ne quis hæc conficta, aut per violentam *συναφεία* adul-
teratæ glossam excogitata esse autemet, *Vrsinum* expressius loquentem
audiamus.

In Expli cat.
Cateches.
Heidelb. 2.
part, Fo. 532.

9. Is enim Baptismi effectum & propositiones eundem comple-
tentes ita effert : Improprie sunt Locutiones : Baptismus est ablu-
tio peccatorum : Baptismus abluit peccata ; Baptismus salvat
& est Lavacrum Regenerationis : idem est ac si dicatur ;
Baptismus est signum horum omnium : Sic autem scri-
ptura loquitur, nomina signorum permutans, propter a-
nalogiam inter signum & rem signatam. Ut enim sordes
abluit *AQVA*, id est, signum ; sic & sanguis Christi, id est,
res significata nos abluit à peccato

10. Nec est, quod aliquis animi dubius (Siquidem in *Bap-*
ptismo peccatum aboleri interdum *Calvini* sectatores docent) hæc
largius de autoribus dictis proclamari sibi persuadeat.

Colloq.
Mompelg.
fol. 446.

11. Etenim omnem peccatorum abluionem *Aquæ* elementari in
Baptismo ab *Aqua* vulgari separatae adimunt, eiq; solam significatio-
nem ex signi & signati Analogia resultantem adjudicant, ut *Beza*
affirmare non dubitet. Non est autem ipsa nimirum *Aqua*
Baptismi externa & elementaris ablutio seu Lavacrum
scilicet peccatorum, neque etiam illam præstare aut effice-
re potest.

Ephes. 4, 5.

12. Atque hinc factum, ut duplicem introduxerint *Bapti-*
smum. Alium externum *Aquæ* Elementaris & *Ministri*: exter-
nam sordium Corporis abluionem habentem. Alium *INTER-*
NVM *aquæ* internæ & *Invisibilis* & *cælestis*, quæ est *sanguis* &
Spiritus CHRISTI, *Regenerationem* & *peccatorum remissio-*
nem conferentem. Id quod contra expressum *Pauli* pronun-
ciatum ; *Vnus Dominus, vna Fides, unum Baptisma, cur-*
rit.

Quod

13. Quod ipsam si cum Beza: Neque ego duos Baptismos consti- Colloq.
tuo: dicente, inficias ibunt, hoc syllogismo se huius erroris convictos es. Mompelg.
se nolentes volentes concedent. fol. 443.

14. Qui duas causas ad unius effecti productionem concurrentes i-
ta separat, ut alteri causarum effectus ille non realiter, sed verboten-
nus tantum conveniat, res duas non distinguit, sed alteram ab altera
diversorum temporum respectu divellens, διπλότῃται quandam commi-
niscitur. At CALVINIANI hoc faciunt. Ergo &c.

15. Maiore, quæ fulcro non eget, missa, Assumptionem sic probamus:
Nam Ursinus ait: Duplex est administer Baptismi. Externus In Explicat.
externi, qui est Minister Ecclesiæ manu sua baptizans nos a. Catech. Hei-
qua: Internus interni, qui est Christus ipse sanguine & Spi- delb. loc. de
ritu suo nos Baptizans. Bapt. f. 543.

16. Idem παρὰ δόξου & Beza tuetur sic scribens: Effectum igi-
tur Ministri hoc est, ut aquâ effusâ madefaciat eum, qui ba-
ptizatur. Aqua autem effusæ seu Communis, seu Sacramen-
talis (nota quod hic Sacramentalem aquam Comuni pa-
rem facit) hoc unicum effectum est, ut eius Corpus, qui ea
perfusus est, madefiat & abluatur. At ille qui interno Spiritu
(id est, divina sua vi tute) baptizat, res prorsus alias divi-
nas nimirum ac cœlestes solas perficit.

Beza in
Quest. &
Respon. part.
altera Quest.
107. fol. 60.

17. Nihil igitur συμπέρασμα antea positum in dubium vocantes,
pleniorum huius duplicis Baptismi demonstrationem expetentibus no-
strorum Theologorum Disputationes, quibus Tossanum, articulos visita-
tionis Saxonica arrodentem refutant, satisfacere posse iudicamus.

18. Porro & Pontificii in hoc religionis Christianæ articulo contra
doctrinam nostrarum Ecclesiarum insurgunt, & de Baptismi efficacia,
adulterinam animo suo sententiam fovent.

19. Atq; id dupliciter: partim enim Baptismi effectum latius aliquan-
tò extendunt, partim verò, ratione temporis peccatum in homine ba-
ptizato aestimantes, eundem plus iusto coarctant.

20. Illud quidem extruere videntur, quod meritum quoddam à Ba-
ptismo originem trahens operibus Regeneratorum attribuunt & con-
cupiscentiam in Baptizatis remanentem peccatum esse, propter perce-
ptum initiationis Sacramentum, pernegant: Hoc verò, quod Baptismi
effectum ad peccata tantum præterita restringunt.

Hosius in 21. Sic enim huius Sacramenti *ἐνέχυρον* ex praesidibus Concilij
Confess. Ca- Tridentini unus delineat: Deinde ex ea dignitate, quam Regene-
thol: fid. cap. ratis nobis, praeter omne meritum nostrum, Deus conferre
34. fol. 37. dignatus est, meritis operum, coelestia praemia debere dici-
mus. Christum enim induimus in Baptismo, vt cum Pau-
lo dicere possimus, Galat. 2. Viuo autem non ego, sed vi-
vit in me Christus, mereor iam non ego, sed meretur in me
Christus: satisfacio iam non ego, satisfacit in me Chri-
stus.

August. lib. 1. 22. Deinde verò quandam in Baptizatis infirmitatem adhuc re-
cont. Pelag. stare, ex sententia Augustini Hosius sanè extruit, sed per egrinum Au-
Episcop. c. 12. gustini verbis sensum obtrudens, hanc infirmitatem concupiscentiae
Hosius dicto nomine venientem peccatum quidem vocari, non autem esse docet: Idè
loco fol. 36. totum Baptismo fert acceptum.

Bellarmin. lib. 23. Ab hac autem Stanislai mente & Bellarminus non abhor-
1. de Bapt. rens, audacter asserit: Baptismus tollit ac verè delet omnem
cap. 12. culpam & penam, deinde confert ex opere operato gratiam
& dona divina, quibus verè & formaliter iustificatur ho-
mo.

Bellar. lib. 1. 24. Hanc opinioinem suam ipse sic latius exponit: In Baptismo
de Bapt. c. 13. tolluntur re ipsa omnia peccata, ita ut non solum non impu-
tentur, sed nec sit, quod imputari ad culpam possit.

Idem dict. 25. Denique tempus, ad quod in Baptismo Collata Regeneratio sese
lib. c. 18. reflectat, determinans, ex sententia 10. Canon: Concilij Trident: ait:
Baptismi efficaciam se non ad futurum extendere, sed solum
ad praeteritum. Remittit enim Baptismus peccata antea com-
missa & nondum dimissa, id est, ea, quæ inuenit in homine
quando suscipitur &c.

ἡμεῶν.

26. Quantum verò ponderis hæc *φρασιολογία* hereticorum habeant
visuri, hunc Disputationi nostræ scopum praefigimus: **VTRVM
BAPTISMVS AB ECCLESIAE MINISTRO COL-
LATVS, HOMINES ITA IPSO ACTV REGENE-
RET, VT HOC SACRAMENTVM IN VERA FL-
DE ACCIPIENTES, EFFECTVS EIVS STATIM
CONSORTES REDDANTVR, ET IN PEC-
CATIS**

CATIS PROLAPSI, FRUCTUM HVIVS FOEDERIS, POENITENTIA ACTA, EXPERIANTVR, & CVM INFIRMITATE RESIDVA, QVA PEC- CATVM EST, PERPETVO LVCTENTVR.

ἐκθεσις τῶν διδωμένων.

27. Quod ἡγούμενος Ecclesiae Ministrum inserimus, Calviniano- rum, Baptismi quandam distinctionem cum Ministri, tum ipsius Christi respectu effingentium, iudicium facit.

28. Qua autem ratione huius erroris convincantur, antea est ostensum.

ΕΠΟΜΕΝΟΣ,

Beza in

29. Eodem modo veritatem & Actum in Regeneratione astru- enda ponentes, Caluini affectas, qui effectum hunc in Infantibus ad discretionis annos suspendunt, notamus.

Quæsti: & Resp. part. alt: quæst:

30. Quia enim fides non actu sed δωόμεναι (secundum ipsorum placitum) in infantes cadit, & ex verbi auditu nascitur, παλιγγενε- σιαι eo, quo infans Baptismo tingitur, momento locum inuenit nul- lum.

111. Calvinus lib. 4. Instit. cap. 16. sect. 20.

31. Præterea & particulam ἐξουχτικὴν [VERE] eidem Sectæ Opponentibus, omnem Figuram & tropum alteri Baptismatis parti, A- que nimirum, in fructus huius Sacramenti assignatione, ab alijs aptatum exterminamus, & Baptismi & AQVAM, ut Medium, Regenerationis lauacrum esse arbitramur.

32. Alterum denique τὸ ἐπομένον membrum ferit pontificios pressius aliquantò de virtute Baptismi, quod tempus attinet, & minus largè, concupiscentiam peccatum negando, de eadem sentientes.

33. Nunc ut Orthodoxa, in hoc fidei nostræ articulo, sententia animis nostris infixa semper hæreat, hæc in eius ædificio sapienter ex- truenso fundamenta ponemus.

LOCVS I.

34. Discipulis suis Christus Baptismum his verbis delineat. Pro- fecti in mundum vniuersum prædicare Evangelium omni Creatura. Qui Cre-

Marc. 16. ver. 15. Cre-

Crediderit & Baptizatus fuerit saluabitur, qui verò non cre-
diderit condemnabitur.

35. Et Nicodemo salvator virtutem huius sacramenti inculcat :
Iob. 3. V. 7. Ne mireris quod dixi tibi : oportet vos denuo gigni. Rationem
antea præmisit. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non
potest introire in regnum D E I.

Rom. 6. 3.

36. His affine est illud Pauli : An ignoratis, quod, quicumque
Baptizati sumus, in Christum Iesum in mortem eius baptizati su-
mus.

*Contra Cal-
vinianos.*

37. Ex hisce scripturæ sacræ dictis tale elicimus argumentum.
Quodcunque est Spiritus Sancti Regenerationis & Renovationis medi-
um, id ipsum hominem, ut medium, verè ipso actu, regenerat & reno-
uat. Baptismus ab Ecclesiæ Ministro collatus & in eo. Aqua est Spi-
ritus Sancti, Regenerationis & Renovationis medium.

Ergo Baptismus à ministro Ecclesiæ collatus, baptizatum [modo Hy-
pocrisis non interueniat] Verè ipso actu regenerat & renouat.

38. Propositionis fidem Mediorum in operibus diuinis adhibito-
rum, per $\epsilon\tau\omega\alpha\gamma\omega\gamma\lambda\omega$ quandam, collectio habet.

Deut. 8. 3.

39. Ordinariè enim panis, hoc nihil obstante, quod D E V S vitæ
nostræ longitudo est, nec solo cibi genere homo uiuat, Cor hominis ve-
rè fulcit, & labor manuum nobis victum querit.

Matth. 4. 4.

Luc. 4. 4.

Genes. 8.

Psal. 104. 15.

Psal. 128. 2.

40. Quod si hic mediorum Corporalium & Corporis sustentandi
 $\alpha\nu\alpha\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\pi$ esse excipis, Paulum se Corinthios itemq; Galatas Spiritu
Sancto & vera verbi diuini luce donatos in Christo Iesu, per Evangeliz-
um genuisse fatentem audi.

1. Cor. 4. 18.

Gal. 4. 10.

41. Assumptionis veritas scripturæ dictis thesi 32, 33, & 34. post-
tis nititur.

42. Quæ ut eò dilucidius ob omnium oculos ponantur, cuiam
Baptismo regenerationis & Renovationis virtutem vocabulo [Salua-
bitur] denotatam Christus ascribat, attendendum. Certè non Christi
Baptismo $\alpha\mu\epsilon\tau\omega\epsilon$ considerato, sed per Apostolos ad Evangelizandum
vocatos administrato.

43. Ipsos enim Apostolos suosq; discipulos in verbo D E I enutritos
& ad baptizandum missos affatur.

44. Apud Iohannem Christus $\pi\alpha\lambda\iota\gamma\gamma\epsilon\upsilon\epsilon\sigma\iota\alpha\pi$ non Spiritui tan-
tum, sed A Q V A, qua minister baptizandum aspergit, fert acceptam,
nullamq;

nullamq; in hoc effectu excitando Aqua & Spiritus S^{an}cti aut
separationem admittit.

45. Quomodo etiam D. Paulus omnes in Christum Ie-
sum baptizatos, in mortem eius, quae regenerationis & Renoua- Rom. 5. 10
tionis vicem (Reconciliati enim sumus per mortem filij eius) hoc
loco subit, baptizatos esse affirmat.

46. Metonymicam autem in sententijs syllogismo nostro ac-
commodatis significationem, qua extrinseca ablutio, Aqua sacra. Locutiones
mentali externas corporis sordes abstergens, internam ablutionem de Baptismi
autem à Spiritu Sancto & Christo peractam adumbrat, explodi= effectu non
mus. esse figuratas

47. Quod enim Ursinus has locutiones: Baptismus est ablutio In Explicat.
peccatorum: Baptismus abluat peccata; improprias & figuratas, Catech. Hei-
propter analogiam inter signum & rem signatam esse, minus rectè delb. c. de
pronunciet; Et Bullingerus AQVÆ purgationem non ut Elemen- Bapt. f. 532.
to, sed ut Sacramento (Sacramentum autem Aquam propter Re- Bulling. in 5.
generationis significationem appellat) tribui Orthodoxè non sen- c. Epist. ad E-
tiat, ita patescit. pbef. f. 339.

48. Quam locutionem Spiritus Sanctus ipse enervat, ea locum
habere nullum potest. Figurata locutionem in Baptismi effectu, A-
QVÆratione, à Calvinianis excogitatam Spiritus Sanctus ener-
vat. Ergo &c.

49. Majori ipse Deus in illis, quae praecipit, *Ἐπιτάξαι ὑμῖν ἅφραξέ*. Deut. 4. 12.
& nobis interdicens, subscribit.

50. Minorem Apostolus Petrus Baptismum corporis sordes non 1. Pet. 3. 21.
abluere asserens, confirmat.

51. Atq; hoc loco Apostolum de Baptismo, Aqua & Verbo con-
stante, loqui dubium est nullum, quod neq; Verbum sine Aqua neq;
Aqua sine verbo Baptismum gignit.

52. Quis ergo Calvinianorum *ἐπιτάξαι ὑμῖν ἅφραξέ* sacrae scripturae analo-
gam esse judicabit?

53. Porro Consimilem in modum ex assignato DEL Verbo, con-
tra Pontificiorum deliria, quae in hoc fidei Christianae negotio animo
suo conceperunt, pugnamus.

54. Et primo quidem Baptismi virtutem & efficaciam, non ad
ipsum momentum, quo homo Baptismo perfunditur, sed ad totum vi-

B

tae nostrae

ta nostræ tempus, ut homo penitentiam agens, & fœderis cum D E O
initi memor ad eam aspirare queat, astringendam esse evincimus:
Pro secundo autem Pontificiorum errorem, in quem hac in materia,
fundamentum etiam peccati, cuius nomine culpa venit, Baptismo
tolli tradentes impingunt, arguimus.

Baptismi ef- 55. Cui tempori scriptura Baptismi ἐνέγειται aptat, eidem hæc
fectus ad o- meritò est adjudicanda.

mnia tempo- Sed tempori præterito, præsentis & futuro scriptura Baptismi
ra, quibus Re- ἐνέγειται aptat.

generatione Ergo eidem hæc quoque est adjudicanda.

opus est, se 56. Qui Majorem negat, D. Petrum, eum, qui in Ecclesia loqui-
extendit. tur ut Eloquia Dei loqui jubentem, mendacij insimulare non vere-
tur.

1. Pet. 4. 11.

57. Minoris ἀσφόδαλοι loci primi dicta antea constituta sanc-
ciunt.

58. Etenim Salvator in Sacramenti huius institutione hunc ef-
fectum ratione temporis futuri, Salutem vocabulo (Salvabitur)
notans, metitur.

59. Atq; hinc apprimè notandum, quod Messias hanc huius Sa-
cramenti Virtutem non simpliciter in tempore futuro, delineat, sed
ita ut, per hunc Baptismum, salutem æternæ hæreditatis nomine Ve-
nientem deniq; adipiscamur.

60. De tempore præsentis Ioannis dictum, ingressum in regnum Cæ-
lorum nemini nisi baptizato patefaciens, sonat.

61. Qui Conuenit D. Pauli assertio, quæ Baptismi effectum,
modo is, qui peccato frenum laxaverat, vera fide ad Christum rede-
at, quotidianum statuit.

62. Nam versu capituli sexti primo, scopum sibi hic præfixum
ponens, inquit: Quid igitur dicemus? permanebimus in peccato ut
gratia auctror fiat?

63. Post medii, cuius ductu è peccatis post Baptismum admissis
ad gratiam Baptismi emergimus, mentionem faciens, Sacrame-
tum, quo in Ecclesia recipimur societatem, connotat & hoc ipsum
peccata futura abluere docens, verba loco primo ἡ ἀρκούντος expressa
subijcit.

64. Nil autem huc quadrat, quod Bellarminus solidam hanc Do-
etorum

etorum Ecclesie verè illationem elidere conatus, duplicem verbo l. i. de Bapt:
rum Christi expositionem assignat: et Salutem illam, nec de salu. c. 18.
te in re (utpote, quæ, secundum Iesuitæ Opinionem, non Baptismi
Effectus seu remissio peccatorum, sed finis est) nec de salute in spe,
quæ in altera vita est futura, & hic non confertur, acceptam nostræ
sententiæ præsidium fore inuait.

65. Nam ἄριστος primum, quod ex prima dicti loci explicatio-
ne resultat, Christus ipse confodit & ingressum in regnum DEI [qui
hic sine dubio peccatorum remissione Vacuus non reperitur] pro ipsa Iohan. 3.
remissione peccatorum substituens, hominem renatum Spiritualem Rom. 8. 23.
esse, utpote qui primitias Spiritus accepit, affirmare non dubi-
tat.

66. Nec quemquam eo dementiæ peruenturum opinor, ut hic nos
baptizatos & iustificatos salutem in re, si primitus ipsius vitæ eter- Rom. 14. 17.
næ & salutis spectes [Gaudium enim pax & letitia sunt vita eter- Gal. 5. 22.
na Esa. 64. 4. & I. Cor. 2. 9.] habere inficiari audeat.

67. De salute in spe quod garrit, eiusq; mentionem respectu pec-
catorum præteritorum fieri autumat, nemo est, qui hac in parte ipsi
obstrepit, nisi quod dictum ἦν dictum καὶ δὲ accipiens, eam i-
psam salutem, ad sola peccata præterita, absq; omni autem adjuncta
ratione refert & sic petitionem principii committit.

68. Nos autem institutum nostrum sic obtinere studebimus.

69. Eo sensu Salvatoris verba, de Baptismi fructu, sonantia sunt
accipienda, quo Apostoli eadem sunt interpretati:

Verba Salvatoris Baptismi fructum sibi involuentia, etiam de
tempore futuro, Apostoli sunt interpretati.

Ergo sic etiam accipienda.

70. Majori calculum ad'icimus nostrum: De Apostolis enim Chri- Matth. 10.
stus enunciat: Qui vos audit me audit. Luc. 10.

71. Minoris certitudinem ex Actis depromimus. Nam ibi Pe-
trus Simonem Magum Baptismo tinctum & in peccata prolapsum
fructus huius Sacramenti, quoad usum tantum, exortem esse indicat.
Non est tibi pars neq; fors in ratione hac: Cor enim tuum non est
rectum Coram Deo. Act. 8. 21. 22.

72. Deinde vero ipsi modum præscribit, quo iterum ad Baptismi gra-
diam aspirare & partem ac rationē in hac sorte habere possit, inquiēs:

A 2

Respice

Resipisce igitur ab ista malitia tua & deprecare Deum si forte remittatur tibi cogitatio tua.

73. Atq; hac ratione Mediatoris, de Baptismi effectu, axioma & ad tempus futurum rectè accommodari patet.

74. Adulterinam reliquorum sacrae Scripturae dictorum expositionem ad limam veritatis exigendam, in ipsam rejicimus Disputationem.

Baptismus non tollit peccatum, sed peccati reatum. 75. Secundum autem Papicolarum errorem hoc sacramento initiationis adjectum ex scriptura antea posita sic prosternimus:

Si baptizati in peccatis permanere possunt, tum non peccatum ipsum, sed reatus tantum in Baptismo tollitur. At illud est; Ergo &c:

Rom. 7. 18. 76. Majori assentimur, quod (permanendi) Vocabulum nos in peccatis quidem esse (hoc enim in carne nostra habitat) sed ne peramaneamus operam dandam innuit.

Psal. 32. 6. 77. Quo sic posito Assumptio & cum ea Conclusio facile stabit.

78. Quia autem hoc Pontificiorum παραδοξον concupiscentiam peccatum non esse affirmans, & Regeneratorum opera meritoria faciens, in diversos, de Originis peccato & justificatione, articulos delinquit, de tabula manuum hic movemus, & ad locum progredimur secundum.

LOCVS II.

Gal. 3. 27. 79. Apostolus Paulus, inquit: Quicumque in Christo Baptizati estis, Christum induistis.

80. Et Petrus Iudaeis, de vera vitam aeternam ingrediendi ratione, querentibus respondet: Baptizetur Vnusquisque vestrum in nomine Christi in Remissionem peccatorum.

Act. 7. 38. 81. Idem quoq; Corinthios de donorum in Ecclesia Christi varietate erudiens, Apostolus scribè inculcat: per vnum Spiritum in vnum Corpus baptizati sumus, siue Iudaei, siue Graeci, siue liberi, siue serui.

1. Cor. 12. 13. 82. Sic igitur pro themate nostro pugnamus: Quaecumq; res, ut Christum verè induamus facit, eadem ipso actu verè regeneramus & renovamus.

Contra Calvini-
anos.

Baptismus

Baptismus per Ecclesiae ministrum administratus ut Christum induamus facit.

Ergo per Baptismum istum actu verè regeneramur & renouamur.

83. Propositionem minimè explodendam esse censemus, quod regenerationem, à Baptismo ratione $\delta\iota\kappa\nu\nu\omicron\mu\iota\alpha\varsigma$ divinae, dependentem, non autem accidentaria quadam Hypocrisi & $\alpha\pi\iota\sigma\iota\alpha$ suspensam, accipimus.

84. Finge enim Euangelium ab Apostolis prædicatum, quod potentiam Dei ad salutem omni Credenti esse Paulus edisserit, salutem non conferre, nonnè Apostolum Tharsensem & consequenter ipsum Deum mendacij insimulabis? Rom. 1. 16. Iohan. 17. 20.

85. Assumptum ex Pauli itemq; Petri assertionem patet: Nam quid sit Christum induere, partim Paulus ipse versu, capituli 3. ad Galatas, 26. inquit: Omnes filij Dei estis per fidem in Christo Iesu: Exponit, & rationem à Christo, qui factus est nobis iusticia, sanctificatio & Redemptio omnibus piis applicata, depromit. 1. Cor. 1. 13.

86. Atque accommodatissimam dicti Paulini $\epsilon\gamma\gamma\gamma\alpha\sigma\iota\varsigma$ Esaias tradit, $\epsilon\pi\iota\upsilon\mu\iota\alpha$ suo in hæc verba cum gaudio prorumpens: Gaudeo Gaudebo in Domino, quia vestimento iusticie sue induit me.

77. Plenius autem id ipsum Petrus expressurus, peccatorum remissionem pro Baptismi fructu statuit.

88. Quia autem Calviniani analogicum scripturae locis sensum affricare satagunt, quod infantes rationis usu destituti, fidei non sint capaces, ut Regeneratio & Renouatio ipsis nulla ratione etiam sunt competat: Fidei donum in infantes etiam cadere ostendimus. Infantes fidei consortes.

89. Si infantes scriptura fidei consortes pronunciat & nobis id ipsum pro certo & rato habendum.

At prius. Ergò & posterius.

90. Qui in dubium vocat potentiam DEI, quæ propter $\alpha\omega\omega\iota$ $\delta\epsilon\upsilon\sigma\iota\alpha\varsigma$, verbi auditu denegato, fidem in infantibus excitare nequeat, Iohannis Baptistæ adhuc in utero materno existentis, & Spiritu Sancto (quem qui habet, Christi est, idq; per fidem) repleti exemplo motus, ut victas det manus adigitur. Rom. 8. 9. Gal. 2. 20.

91. *Μαίωρι* & *Ἐπιτοπίω* assertionem subiungimus Christi, au-
ditores suos à scandalo debortantis: Quisquis offenderit unum de
Matth. 18. 6. pusillis istis, Qui in me credunt, melius esset ei ut mola asinaria
suspendatur de Collo eius &c.

Mar. 10. 15. 92. Adde quod paruuli regnum accipiunt Cælorum, quod sine
Iohan. 3. 36 fide fieri *ἄποπορ* est. Qui enim non credit filio vitam non videbit,
Ebr. 11. 6. & qui accedit ad Deum hunc credere oportet.

Concili. Tri= 93. Atque sic Patrum Concilij Tridentini, actum fidei ipsis
deß. 7. infantibus subtrahentium, & solam Ecclesiæ fidem in Pædobaptis-
de Bapt. smo ponentium, opinio corrui.

canon. 13. 94. Quod modum fidei excitandæ dilucidè propositum concer-
August. lib. nit, nostram ignorantiam ingenue fatemur & cum Augustino dici-
1. de peccat: mus: paruuli per hoc Sacramentum, quod ad hoc diuinitus institus
metit: c. 25. tum est, in Credentium numerum transeunt.

Lib. 4. Instit. 95. De fidei semine quod Calvinus differens, quasdam erroris
cap. 16. Sect. latebras querit, ad eiusmodi est, ut refutatione uix indigeat.

20. 96. Nunc & Pontificiorum insaniam de regenerationis (vt ex
Contra Pon- præcedentibus liquet) duratione bonis mentibus scrupulum injici-
tificios, entem hoc argumento retundimus.

67. Qui Baptizati & in peccatorum volutabris constituti,
ita in Baptismo Christum induerunt, vt per & propter Baptismum,
pœnitentia tamen interueniente filij Dei pronuncientur, illorum
Baptismum effectum suum ad futurum quoq; tempus extendit. Ga-
latæ & ipsorum nomine omnes Christiani in peccatorum volutabris
constituti ita in Baptismo Christum induerunt, vt per & propter
Baptismum, pœnitentia acta, filij Dei pronuncientur. Ergò illorū, &
ἑπομένως omnium Christianorum Baptismus suum effectum ad fu-
turum quoq; tempus extendit.

98. Majori qui astipulari denegat, Apostoli effatum *κατ'*
ἄλλοίωσι p realitatis omnis expertem, intelligendum esse absurdè
largietur.

99. Minorem Pauli assertio thesi 79. expressa fulcit. Christum
enim induere, vt ex versu 26. cap: 3. ad Galat: constat, est filium
D E I pronunciarī & omnium beneficiorum Christi consortem
recipi.

Alterum Papicolarum errorem, Baptismi intervenientia, peccatum ita penitus extirpari asserentem, ut Concupiscentia peccati in renatis (modo consensus non accedat) nullam rationem habeat, hic sicco præterimus pede & loci, de peccato, censura committimus.

LOCVS III.

101. Pleniori autem propositi thematis demonstrationi & hoc Pauli aphorisma inseruit: Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut eam sanctificaret, purgans lavacro aquæ per verbum. Ephes. 5.
25. 26.
102. Eiusdem generis est, quod Apostolus salutem nostram ita depingit: Misericordia sua servavit nos per lavacrum Regenerationis & Renovationis in spiritu sancto. Tit. 3. 5.
103. Sic Petrus inquit: Cui nunc correspondens exemplar Baptismi nos quoque servat, non quo sordes carnis abijciuntur, sed quo fit, ut bona conscientia DEVM interroget per resurrectionem Christi. 1. Pet. 3. 21.
104. Sic ergo colligimus: Quod nos purgat, ut sancti & inculpati simus, id Regenerationis & Renovationis beneficium ipso actu verè confert. Baptismus à ministro Ecclesiæ administratus nos purgat, ut sancti & inculpati simus. Ergo Baptismus à ministro Ecclesiæ administratus (modò hypocrisis ordinariam Baptismi ἐπέχει non suspendat) Regenerationis ac Renovationis beneficium ipso actu verè confert. Contra Calvini-
vianos.
105. Propositionis Βεβαίωται Regenerationis itemque sanctitatis ἰσοδυναμίας nobis suppeditat. Pro salute enim & sanctificatione in Epistola ad Ephesios designata Apostolus ad Titum 3. Regenerationem & Renovationem substituit. Eph. 5. 25. 26.
106. Assumptionem præter reliqua scripturæ testimonia Divus Petrus confirmat scribens, Baptismum nos servare, ut non carnis sed conscientie sordes abijciantur. Tit. 3. 5.
107. Et ne huic estipulationi Apostoli quandam ἑτερικῆν analogiam, Regeneratione Baptismum re & facto defraudantem, Calviniani assuant, & sic Regenerationem Baptismo κατ' ἴδιον competere asseuerent, textus ipsius evidentia prohibet.

Etenim

108 Etenim, collatione arca Noë & Baptismi factâ, ut arca tempore Noë animas octo à diluuij aquis verè & non verbote- nus factas & tectas conseruat; ita Baptismum, qui arca Noë correspondet, nos quoque verè & ipso actu seruare Petrus colligit.

Contra Pontificios. 109. Pontificiorum dogma in tempore Regenerationis peccans scriptura etiam iugulat. Si ita se pro Ecclesia Christus exposuit, ut eam aquæ lauacro, per verbum purgans, sanctificaret, Baptismi efficaciam ad tempus etiam futurum collineat.

Sed illud absolum non est.

Ergò nec hoc erit.

110. Propositionis nexus ita fit manifestus. Nam sanctificatio ministerio Baptismi perficienda actum habet non transeuntem, sed continuum.

Ep. 4. 111. Addit enim Paulus huius purgationis & sanctificationis, quæ imputatione & mentis Renouatione absoluitur, declarationem: vt sisteret sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugas, aut quicquam eiusmodi, sed vt esset sancta & inculpata.

Prout. 24. 17. 112. Quod ipsum fit successiuè, ita quidem, vt iustus in die septies cadat, & fœderis cum DEO sanciti beneficio resurgat.

113. Minori ipsa Pauli verba, de certitudine extra controversiam ponenda, testimonium perhibent.

Bellarmino. lib. 1. de Bapt. cap. 18. 114. Ex quo perspicuum est Bellarmini, quam in voce (Ecclesia) Domini D. Chemnitij argumentum refutaturus, venatur restrictionem, voculam (Ecclesiam) non de omnibus hominibus in Ecclesia, sed de singulis generum accipientem, vacillare.

Esa. 54. 10. & 59. 21. 115. Et Esaias fœderis diuini rationem vrgens, directè Iesui tam confodit: Montes mouebunt sese & colles nutabunt: Misericordia autem mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non nutabit, dixit Miserator tuus I E H O V A.

116. Nihil ergò de conclusione dubitantes, ad ipsam ἀνακένυ- ἵπ̄ pergimus.

Ανακένυ.

Argumentum primum contra Calvinianos.

Si

117. Si Baptismi A Q V A, in usu, Regenerationem & Renovatio-
nem non confert, sed tantum significat, in articulis Religionis Chri-
stianae explicandis, analogiam quandam, si τὸ ἔκτὸν cum recto ratio-
nis iudicio bellum gerit, nobis ubiq; effingere licebit.

Sed hoc est absurdum.

Ergo & illud.

118. Hypothesin Majoris indubiam esse, sic colligimus. Sicut in
Baptismo Regeneratio & Renovatio A Q V A adscripta, quoddam
ἔκτὸν in rectum rationis iudicium impingens infert: ita & idem
in reliquis fidei nostrae articulis locum habet.

119. Sic & articulus, de unione duarum in Christo naturarum
hypostatica ἀτρεπίτως καὶ ἀσυγχύτως facta, interpretationem Arianismum redolentem admitteret.

120. Cum enim propositio Iohannis: verbum caro factum est: Iohan. 1.
palato nostrae rationis non arrideat, eam commoda expositione, qua
homo Christus, ratione Iustitiae & aliarum virtutum, verbi seu Dei
appellationem sortiatur, nostro sensui aptandam esse, nemo inficias
ibit.

121. Assumptum ex hoc Moysis effato planum est: Non facietis Deut. 4. 2.
singuli quicquid rectum in oculis suis. & 12. 7.

Argumentum secundum.

122. Si Metonymicus de Baptismi efficacia sensus à Calvinianis
extractus, in hoc negotio militat, tum & Iudaei in veteri Testamen-
to etiam Christi Baptismum habuerunt.

Sed hoc non est. Ergo nec illud.

123. Maioris nexum firmum esse haec nobis persuadent: Nam
Paulus Baptismum veteris testamenti, cum hoc nostro; quoad signi- 1. Cor. 10. 12.
ficationem consentientem, patribus non denegat, inquit: Nolo
autem vos ignorare, fratres, quod patres nostri omnes sub illa nube
fuerunt, & omnes per mare transferunt: & omnes in Mosen ba-
ptizati sunt nube & mari.

124. Et sanè mare sanguinem Christi peccatorum sordes abluen-
tem adumbrabat. Subjungit enim: Haec autem typi nostri fuerunt.

125. Idem etiam de diversis ablutionibus & politia Mosaica Epi- Ebr. 9. 9.
stola ad Ebraeos asseverat, eamq; fuisse exemplar pro tempore praesenti, 10. 21.
nec conscientiam cultoris sanctificare potuisse scribit.

C

Minori

Ebr. 110.1. 126. *Minori Epistola ad Ebræ: suffragatur. Lex enim umbram habuit futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.*

127. *Præterea eius veritate negatâ, patres veteris testamenti sacramenta initiationis duo (quorum alterum circumcisio, alterum Baptismus Christi) habuissent.*

Argumentum tertium contra Pontificios.

128. *Si Baptismi gratia, post peccatum conscientiam admissum, ita intercidit, ut eius vi resurgere non valeamus, nostra infidelitas Dei fidem tollit.*

At falsum posterius. Ergò & prius.

1.Pet. 3. 21. 129. *Propositio confirmatur: Baptismus enim est fœdus bonæ conscientie cum Deo, quod utriusq; partis fides ingreditur.*

Osea. 2. 20. *Assumptionis robur gentium Doctor ostendit: Num incredulitas fidem Dei irritam faciet? Absit. Imò sit Deus verax, omnis autem homo mendax. Si increduli sumus, ille fidelis manet, negare se ipsum non potest.*

Rom. 3. 3. 4. *tem homo mendax. Si increduli sumus, ille fidelis manet, negare se ipsum non potest.*

2.Tim. 2. 13.

131. *His ergò divini verbi præsidijs freti, nostrarum Ecclesiarum, de Baptismi efficacia, sententiam exosculamur, & contrarium suis autoribus relinquimus.*

ἄποστιθέμενον.

An hypocritæ per Baptismum verè regenerentur? Negatur.

Errata.

Thesi. 1. lin: vl: pro divina: lege: divini. Thesi 21. lin. 4. pro: debere: lege: deberi. Thesi 31. lin. penul. dele: & Thesi. 79. pro: Indultis; lege Indultis.



Ad.

M. VDALRICVM NAGELIVM

VDALRYCVS NAGELYVS.

ἄναγ. *ἀναγ.*

Dic! Vigila vir valens.

H Actenus est rabido Mortæ satis undiq;
morsu

Rosus VDALRICVS candidula ille

ROSA.

Næ fera vis Mortæ hūc diro absorpsisset hiatu,
Ars mea nī medicā plus valuisset ope.

Nunc quoniam obtinui tandem victoriam

Apollo,

NAGELIO, VIGILA DIC

VIR, amice, VALENS.

Albertus Vvichgrevius Hamb.

Ad.

M. DAVIDEM LAVRENTIUM.

DAVIDES LAURENTIUS.

Ἐναγγραμ.

Deus dat vilia: en rus.

Contentum modicis quid carpere 'zoile' tentas?
Annè tibi fanâ mente videre loqui?
Forte tibi doctæ finxerunt pectus Athenæ?
Quod sapiis humanis altius ingeniis?
Disce supercilium deponere, temnere disce
Nullos; DAT magna & VILIA cuncta Deus
Si tibi sum Vilis nimium; te hinc auferet EN RUS,
Hoc hoc te Dominum nuncupat omne suum.

Albertus Vvichgrevius Hamb.

F I N I S.

99 7 248


ULB Halle 3
002 039 575



Nur für den Lesesaal







B.I.G.

Farbkarte #13



σὺν θεῷ

THESES THEOLOGICÆ
DE

BAPTISMI FRUCTV
QVEM REGENERATIO ET
RENOVATIO STATVIT

Contra

Calvinianos & Pontificios.

Ex Tomo secundo Bellarmini, ad Disputationem Quar-
tam, in Collegio Studiorum Theologiæ privato
3. Cal. Febr. habendam propositæ

A

M. VDALRICO NAGELIO Brandeb.
Respondente

M. DAVIDE LAURENTII Magdeburg:



VVITTEBERGÆ,

Excusum typis Wolfgangi Meisneri,

ANNO M. D. XCVII.